

39. Medicinam quod attinet, est & in illa ordo analyticus necessarius. Ideoque qui illius artis beneficio in corpus humanum, tanquam subiectum, inducere vult, aut in eo conservare sanitatem, tanquam finem efficiendum, nec corpus illi humanum, quod artis est subiectum, nec sanitas, quæ vel est conservanda, vel, si amissa est, recuperanda, debet illi esse incognita: & propterea non tantum debet præcognoscere, quid sit sanitas, bona scilicet corporis & partium ejus habitudo, sed & quid sit ipsam corpus, quæque ejus partes: sive hanc notitiam acquirat per sensum & anatomen, sive per rationem ex Physica. Et si certis signis deprehendatur sanitas amissa, demum remedia inveniantur, quibus finem illum in eo subiecto efficere possumus. Sic Medici agunt primò de corpore humano, tanquam de subiecto in parte *Φυσιολογική*: deinde de sanitate & opposita illi ægitudine, horumque signis in *ὕγιεινῇ παθολογικῇ* & *σημειοτικῇ*, tanquam de fine: tandem in *θεραπευτικῇ* de natura & viribus ciborum & medicamentorum, deque causis sanitatem conservantibus & amissam restituentibus. Et hunc ordinem resolutivum in tota medicina observari convenit, cum unius morbi curatio habeat proportionem universæ Medicinæ.

40. Scientijs speculativis ad inventionem principiorum opus quidem fuit resolutione per demonstrationem ab effectis, seu per methodum resolutivam: ipsæ tamen scientiæ accurate conscribi non possunt, nisi ordine synthetico. In illis enim progredimur à principijs rei, luculenter tamen, si opus est, antea ex effectibus, vel per inductionem singularium demonstratis, & quidem hanc ob causam, quia illa ipsa principia rei sunt etiam simul principia distinctæ cognitionis, quia ab illorum notitia omnium aliorum dependet cognitio evidens. Universaliora enim sunt, quam ea, quæ inde deducuntur, & ob id etiam notiora ad notionem aliorum distinctam facientia.

41. Sic physicus in arte scientiæ naturalis tam universali seu generali, quæ agit de principijs & affectionibus corporis naturalis communibus, quam particulari & propria, quæ descendit ad species corporum naturalium, agitque de cœlestibus & elementaribus, animatisque & inanimatis corporibus, progreditur synthetico ordine à principijs seu causis, antea tamen, ut par est, deprehensis ex notioribus nobis, ad effecta distinctè cognoscenda, & perpetuam hanc ordinis legem servat, ut ab universalibus, tanquam causis, ad specialia descendat.

C

42. Mathe-